



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 111. Gabrielis Tressii & Joannis Baptistæ Dati Cardinalium obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII. suumque consilium interim executioni
A. C. 1630. darent.

§. CXI.

*Gabrielis Tressii & Joannis Baptista
Dati Cardinalium obitus.*

*Ciacon. in
vita Pauli V.
& Clement.
VIII.
Ughel. Ital.
sacra.* Postremum vitæ suæ diem hoc anno
clauserat die duodecima Februarii
Gabriel Tressius natione Hispanus, qui
Salmanticensis Academiæ Doctor pro
B. Virginis immaculata conceptione
tantum operæ studique posuit, ut quam-
vis se Romanæ Curie minus addictum
præberet, a Philippo tamen III. Hi-
spaniarum Rege ad Purpuram nomi-
naretur, qua etiam a Paulo V. obtenta
primo Salernitanus postea Malacensis
Episcopus renuntiabatur, ubi etiam de-
natus in sua Ecclesia sepultus est. Hunc
pari fato sequebatur Joannes Baptista
Datus, Patritius Florentinus, quem
Petrus Cardinalis Aldobrandinus suæ
familie quondam fore proficuum ratus
vix Gramatices gnarum annosque non-
nisi septendecim natum Clementi VIII.
Papæ tam importune obtrudit, ut il-
lum Cardinalem nominaret, quamvis
postea illum sæpius poenituerit, quod
juvenem tanto honore indignum ele-
gisset: Datus enim mores Viro Eccle-
siastico indignos exhibuit, multoties
a Cle-

a Clemente VIII. acriter reprehensus, Sæc. XVII.
 quo postea fatis functo, nonnisi suos A.C. 1630.
 natales efferre doctus, bijuges per urbem aureis ornatos ephippiis ducebat, tamque immodice fortunæ delitiis, ac vitæ licentiis sese dicabat, ut quantumvis juvenis esset & robustus, ante senium tamen senescens adeo viribus exhauriretur, ut molem corporis sustinendo impar podagra, chiragra, aliisque ejusmodi morbis affligeretur, nonnunquam trunco similior, quam homini viventi: unde rarissime sive Sacris, sive Senatus sacri functionibus intererat, sella domi usus curruli, eoquod nec stare nec surgere posset: nihilominus antiquitatis, optionisque jure, reclamante licet Pontifice, primo Albanensis, postea Tusculanus & Portuensis, demum S. Collegii Decanus renuntiabatur, e vivis sublatus die decima quarta Julii anno ætatis suæ quinquagesimo quarto.

S. CXII.

*Melchioris Cleffeli Cardinalis
decessus.*

Jam supra recensuimus adversantis fortunæ calamitates, quibus Cardinalis Cleffelius fato omnibus ferme Principum clientibus familiari jactatus a
 su-

Vid. supra
 Hist. Eccl.
 l. 191. S. 25.
 tom. 56. p. 97.